JOANNIS MARIÆ PANIGHETTI

IN GYMNASIO PATAVINO
PUB. JURIS CÆSAREI PROFESSORIS

Ad Tit. De V. O.

DISPUTATIO.



PATAVII, MDCCLVII.

EX TYPOGRAPHIA CONZATTI.
Superiorum Permissu.

JOANNI EMO

EQ. AC D. MARCI PROC.

BARBONO MAUROCENO

EQ. AC D. MARCI PROC.

JOANNI MOCENICO

EQ. AC D. MARCI PROC.

TRIUMVIRIS REI LITTERARIÆ MODERATORIBUS, TOTIQUE EORUM ORDINI

JO: MARIA PANIGHETTI.



Rit proculdubio, qui quærat, cur hoc potiſſimum anno Diſputationem hanc meam pro Solemni Studiorum Inſtauratione habitam Typis tradam. Ego ve-

rò nihil dissimulo, nec est cur dissimulem. Quadriennali scilicet expleto conductionis cursu, laborum, studiorumque meorum rationem, ut par est, aliquam, Vobis, SENATORES AMPLISSIMI, *reddere constitui. Nimirum quod jure vestro a nobis exposcere potestis, ego volens lubensque affero. Ita rei alicujus familiaris, aut etiam publicæ bonus administrator, rationibus sponte redditis, non obscurum fidei suæ iis, qui præsunt, argumentum præbet. At cur, inquiet aliquis, cum Cujacio tanti nominis Interprete certamen instituis? Facio scilicet quod illi, qui in Sole Planetarum lucidissimo maculas quærunt. Quemadmodum verò, detectis in Sole maculis, adhuc tamen luminis idem parens ac fons habetur; ita Cujacii sententia aliqua non satis omnibus probata, adhuc tamen clarissimum Jurisprudentiæ lumen, ac summus Juris Interpres Cujacius e-*

xi-

xistimatur. Et sane, hunc qui Cujacio honorem deneget, aut Cujacium numquam legit, aut quæ apud ipsum legit, non intellexit. Neque tamen hìc eruditissimo viro, Romanique Juris peritissimo laudes contexere volo, tum quod multo ante nos ab aliis plurimum commendatus, laudibus nostris non indiget, tum verò etiam quod Epistolæ modus servandus. Orandum mihi potius, precibusque impetrandum puto, ut conatum hunc, laboremque meum, præsidio vestro & auctoritate, SENATORES AMPLISSIMI, *tueri velitis.*

DISPUTATIO.

Um primum hoc anno, ex quo huc aſcendimus, quarto, de ſtipulationibus diſputandum nobis eſſe intelleximus, uberrimum ſtatim fontem nobis aperiri cognovimus, unde aliquid traheremus, quod veſtris auribus non indignum proluſionis cujuſdam loco eſſet. De ſtipulationibus enim tractatus tantam occupat ſua amplitudiue Juris partem, ut non ſit difficile, ex innumeris, quæ ab Interpretibus excitantur in eam rem controverſiis, unam aut alteram eligere, quæ non ob ſuam modo pulchritudinem & gravitatem, ſed etiam utilitatem vobis probetur. Et ſane ad veterum, ac recentiorum Interpretum de Verborum obligationibus diſputationes & commentarios accedentes, in Vinnii locum ſtatim incidimus, ubi magnopere miratur, cur Cujacio docere placuerit, promiſſorem in

diem

diem, ante diem, invito creditore, solvere non posse. Quod quidem ita grave nobis visum est, ut hoc ipsum diligenti examini hodie subiiciendum esse statuerimus. Verba Vinnii ad §. 2. de V. O. placet recitare: *miror*, inquit, *Cujacium in re tam aperta dissensisse*. Ego tamen, qui Cujacio inter Juris Interpretes semper primas dederim, eundem aut absolvere, aut damnare prius non ausim, quam ejusdem rationibus in medio positis, diligenterque discussis, gravissimo judicio vestro aut absolvatur, aut damnetur.

Quod igitur Leges omnes, quod omnes fere Legum Interpretes affirmant, constanter Cujacius negat, promissorem in diem, invito creditore, ante diem solvere posse. Neque verò uno in loco, sed ubicumque debiti in diem mentio contingat, eandem sententiam repetit. Ubi verò id apertissimè tradit, locus est tum in Comment. ad l. 15. ff. de ann. leg. Hæc enim ipsa ibi legimus ejusdem verba: *Denique invito creditore, ante diem solvi non potest*. Tum [illegible] etiam ad l. 38. ff. de V. O., ubi ita scribit: *ante diem igitur certam, vel incertam non solvitur nisi volenti*. Novam hanc do-

doctrinam, planeque suam, quo Juris fundamento communiat, aperiemus, postquam, ut res ordine fiat, contrahendæ stipulationis modos investigaverimus, eosdemque accuratè explanaverimus. Ac ne cui fortè actum nos agere videamur, curabimus diligenter, ut, ubi liceat, trita cæteroquin ac pervulgata doctrina speciem aliquam novitatis induat.

Omnis igitur stipulatio, inquit Tribonianus in §. omnis inst. tit. de V. O., aut purè fit, aut sub conditione, aut in diem. De singulis modis singillatim disputemus, ut quæ ratio sit adimplendæ cujuslibet obligationis, clarissime pateat. Purè, ut Jurisperiti loquuntur, fit stipulatio, cum neque tacitè, neque expresse dies, aut conditio stipulationi inserta videatur. Tacitè enim aliquando dies inest stipulationi, cum scilicet, quod purè cæteroquin promissum est, per rerum naturam, nisi post aliquod temporis intervallum præstari non possit. Quod quidem ex duplici causa contingere posse clarissimum est; nimirum aut ex re ipsa præstanda, aut ex loco, ubi res eadem præstanda est. Res, quæ præstanda sit, stipulationi puræ tacitè

tè tempus adiicit, ſi, quemadmodum docent Interpretes, fructus naſcituri in ſtipulationem venerint. Horum enim natura poſtulat, ut tempus expectetur, quo nati fuerint, ut peti jure poſſint, & ſolvi debeant. Quamquam exemplo hoc plus complexi eſſe videntur, quam cœpta doctrinæ ratio poſtularet. Qui enim fructus ſtipulatur, eam rem agit, ut purè quidem ſtipulari videatur, re tamen vera non ſolum in diem, ut dicebamus, ſed etiam ſub conditione ſtipuletur. Qui enim fructus ſtipulatur, ſpem ſtipulatur; ſpes autem, cum ſit incerta, ſtipulationem facit, ut loquuntur, conditionalem, cujus illud præcipuum eſt, ut eſſe aliquando poſſit, aliquando non eſſe. Fructus enim, quorum ſpem ſtipulamur, cum ipſos ſtipulamur, & naſci poſſunt, & non naſci. Quare qui eoſdem ſtipulatur, licet purè ſtipuletur, eo tamen modo tacitè ſtipulatur, quo ſtipulatio apertè ſub conditione conciperetur ab eo, qui diceret; ſi naſcentur. Ex quo patet, eum, qui fructus ſtipulatur, non in diem ſolum, ſed etiam ſub conditione tacitè ſtipulari; in diem quidem, quia fructuum nativitas expectanda eſt,

eſt; ſub conditione verò, quia incertum eſt, utrum ſint naſcituri. Unde illud a l. 1. ff. de cond. & demonſt. imperatum, ſolvendos eſſe fructus ſi naſcentur; ſin minus, non eſſe ſolvendos. Verùm non unum eſt puræ ſtipulationis conditionem tacitè recipientis exemplum. Plura enim eiuſdem generis alia ſunt, ac præcipue quidem Dotis ſtipulatio, quæ quamvis purè concepta, eam tamen tacitè conditionem habet, ſi Nuptiæ ſecutæ fuerint. l. ſtipulationem. ff. de jur. dot. Eodem in numero eſt pura ſtipulatio ejus, cujus dominus ſit apud hoſtes. Quamdiu enim eſt apud hoſtes, tamdiu pendet ſtipulatio, quæ tacitam conditionem habet, ſi revertatur. Huc quoque referunt ſervi hæreditarii ſtipulationem; licet enim hæc purè a ſervo celebrata fuerit, eam tamen tacitè conditionem continet, ſi hæreditas adita fuerit.

Nihil dico de eo puræ ſtipulationis genere, quæ locum contineat, ubi res præſtanda ſit; ut ſi Patavii ſtipuler Romæ dari. Hæc enim illud tacitè temporis ſpatium continet, quo Patavio Romam iter commode confici poſſit. Cæterum illa veri nominis pura ſtipulatio erit, quæ ne-

que

que tacitè, neque expressè diem contineat, aut conditionem; pureque nomine ideo appellatur, quod iis omnibus careat, quæ obligationem differre valeant. Ea enim puræ stipulationis est vis, ut, quod in ea comprehensum est, & petendi statim facultatem, & solvendi pariat obligationem. Scio equidem, Auditores, cæptam de pura ac simplici stipulatione doctrinam tam multa complecti, ut vix ullus reperiri exitus possit; sed quæ de ea hactenus tradidimus, pro temporis, institutæque disputationis ratione, satis hodie esse existimamus. Conditionali enim locus dandus est, quæ de amplitudine & gravitate cum superiore contendit. Stipulatio autem conditionalis est, quæ in rei alicujus eventum, quem Pragmatici *Casum* vocant, celebratur. Tot exemplis id potest declarari, quot ea sunt, quæ ut fiant, aut eveniant, magnopere cupimus. Hęc tamen ab Jurisconsultis, eorumque interpretibus afferri solent: si navis ex Asia venerit: si Titius Consul factus fuerit: si Capitolium ascenderit. Hac loquendi ratione fit apertum, quod sub conditione promissum est, nec deberi statim,

nec

nec peti posse; ea verò adimpleta, & obligationem nasci, & petendi facultatem oriri. Ex his facile intelligas, conditionis illud esse præcipuum, ut & obligationem differat, & jus petendi; nisi forte ea tacita obligatione promissorem statim teneri dicas, ut in promissione usque ad conditionis eventum permaneat, neque illud liberè distrahat, aut alienet, quod, impleta conditione, se soluturum promiserit. Hinc Juris Interpretes docent, improprio vocabulo eos uti, qui eas, quæ aut præsens, aut præteritum tempus respiciunt, conditiones appellant: puta, *si Mevius vivit; si Consul factus est*. In futuro enim eventu esse nequit, quod jam accidit; quodque jam accidit, neque obligationem differt, neque petendi facultatem; quod, ut dicebamus, veræ conditionis præcipuum est ac singulare. Etsi verò, his expensis, huic conditionum generi conditionum nomen Interpretes denegent, ego tamen conditiones hujusmodi a veris conditionibus non omnino differre comperio. Quemadmodum enim veri nominis conditiones, ita & conditiones hujusmodi, quas vocant improprias, incertum dubiumque stipula-

to-

torem faciunt, & promiſſorem. Ut enim qui in fut' rum tempus conditionem conferunt, de eo, quod futurum eſt, ita qui in præſens, aut in præteritum, de eo, quod jam accidit, incerti ſunt; atque ita quidem incerti, ut a fraude doloque liberum non dimitterem, ſi alteruter certo ſciret, id, de quo ſe dubitare oſtendit utrum contigerit, contigiſſe. Non eſt opus multis, ut id explicetur. Si enim certo ſcias, aut Mævium vivere, aut Conſulem fuiſſe factum, quis te doloſe agere non jure dixerit, ſi te daturum, aut facturum eſſe promittas, *ſi Mævius vivit, aut Conſul factus fuit?* Nimis igitur fortaſſe temere conditionum genus hoc plerique Interpretum a conditionum numero expungunt. Licet enim earumdem vi, ex parte rei, ut loquuntur, quæ certa eſt, obligatio non differatur, differtur tamen ex mente eorum, qui contraxerunt; quos, ne cum dolo, propterea que fruſtra contraxiſſe dicamus, in re ipſa certa incertos omnino fuiſſe dicendum erit.

Sed jam de ea conditionis ſpecie, quæ ſtipulationi expreſsè adnectitur, pro ratione temporis hactenus dicta ſufficiant; de illa

illa nunc dicamus, quæ eidem ſtipulationi tacitè ineſt; deque ea præcipue, quæ tranſverſos agit Interpretes, atque his verbis exprimitur: *dabis cum veneris*. Ego ſane ſententia illa, diem potius tacitè apponi dicerem ſtipulationi, quam conditionem; quemadmodum conditionem potius, quam diem ſtipulationi te tacitè adiicere exiſtimarem, ſi diceres, *dabis ſi veneris*. Cum enim dicis, *ſi veneris*, voluntatem potius, quam tempus; cum dicis, *cum veneris*, tempus potius, quam voluntatem ſpectare videris. Quæcumque tamen de hoc tacitæ conditionis genere a ſubtilioribus afferantur, ego multo fortaſſe verius ſtatuo, quam ſubtilius, conditionis genus hoc, quocumque modo concipiatur, nihil omnino ab ea, de qua jam diximus, tacita conditione differre, qua quis fructus naſcituros pollicetur. Ut enim ſi naſcentur, & cum naſcentur, ſolummodo debebuntur; ita ſi hic venerit, & cum venerit, quæ pollicitus fuerit, ſolvere tenebitur. Sed multo plura in rem hanc afferri poſſent, niſi nos inſtitutæ jam diſputationis argumentum ad ſe vocaret, ad quam, ut planiorem nobis viam faceremus, non pauca hactenus

de

de pura, & conditionali ſtipulatione in medium produximus.

Tertius igitur celebrandę ſtipulationis modus eſt, cum in diem ſtipulamur. Aptius rei hujus exemplum afferri non poteſt, quam quod in §. in diem. de V. O. Tribonianus his verbis adducit: *decem aureos primis Kal. Martiis dare ſpondes?* Diei hujus adjectio facit, ut non ſolum priuſquam dies venerit, peti non poſſit, ſed ne ea quidem ipſa die, in quam ſtipulatio facta eſt. *Totus enim is dies*, inquit eo loci idem Tribonianus, *arbitrio ſolventis tribui debet: neque enim certum eſt, eo die, in quem promiſſum eſt, datum non eſſe, priuſquam is præterierit*. Ex his facile patet, diem adiectum ita debitori ad dilationem prodeſſe, ut ante illum diem cogi ad ſolvendum non poſſit. Quod quidem licet prima fronte clarum perſpectumque videatur, attamen Interpretibus noſtris ad graviter diſputandum non levem cauſam ſępiſſimè dedit. Si enim ex hac ſtipulatione, quę jure valet, illa duo proficiſcuntur, quę ex valida ſtipulatione oriri ſolent, obligatio ſcilicet, & actio; illud primum quęritur ab Interpretibus,

num

num diei beneficio utrumque differatur; an vero, licet, vi actionis nondum natę, peti statim ab invito non possit, obligatio tamen jam nata dicenda sit, quę ceteroquin causam actioni tribuit, atque uno eodemque veluti partu nascitur? Atque actionem quidem natam non esse apertè tradit Ulpianus in l. certi. ff. si cert. petat. his verbis: *ante diem agere, aut petere non potero*; quod clarius postea in Instit. Tribonianus expressit §. supradicto, his verbis: *quod in diem stipulamur, peti priusquam dies venerit, non potest*. Igitur stipulatio in diem actionem differt, ac petitionem. Neque vero hic quæstionem quæstioni superaddere placet, quærendo cum Pragmaticis, num revera dies stipulationi adiectus ad promissoris commodum ita pertineat, ut peti ab eo non possit, nisi totus dies elapsus fuerit? Ab hoc enim disputationis genere plura me abstinere cogunt, tum quod hac de re aliàs commodius disputandum erit; tum quod urget illud, cujus gratia præsens a nobis cœpta disputatio est.

Quod igitur superest, propiusque ad propositum argumentum accedit, illud

potius quæramus, num, quemadmodum diei appositi beneficio, petitio differtur, ita & obligatio, ut in conditionali stipulatione accidit, differatur, ita ut, quæ in diem promissa pecunia est, ejusdem non solum nulla petitio ante diem sit, sed neque ulla ejusdem solvendæ obligatio? Ac si Ulpiani verba in supradicta l. certi, ut sonant, accipias, die apposito, effici intelligas, ut præsenti die, idest die stipulationis contractæ non debeatur; si vero ut significant, ita deberi intelligas, ut tamquam statim debitum, statim peti possit. Plures verò alios Juris locos si consulas, etiam in diem promissum, statim debitum esse cognosces. Id docet Justinianus in dicto §. omnis, id l. centesimis. de V. O. id l. cedere. ff. de V. S. Sed quæ isthæc debendi ratio est, quodnam obligationis genus hoc, quæ nulla ad solvendum aut vi potest, aut necessitate compellere? Quis enim ignorat, eum, qui verè debet, etiam invitum cogi posse ad solutionem? Nimirum in diem debitum ita statim deberi dicemus, ut tamen statim peti non possit. Neque inanis hæc commentatio est; id enim & stipulatori, &

pro-

promiſſori utile eſt. Prodeſt ſtipulanti, cui, ſi, quod in diem debitum eſt, ante diem ſolvatur, indebiti condictione repeti non poteſt. Prodeſt promiſſori, cui, quia debitor eſt, etiam ante diem ſolvere licet, ſeque debito liberare; quod ſane certum non eſſet, niſi certum etiam eſſet, debitum jam natum eſſe.

Sed quemadmodum, quin volenti ante diem ſolvi poſſit, nemo unquam dubitavit; ita non defuere, qui invito ante diem ſolvi non poſſe conſtantiſſimè atque apertiſſimè docuere. Quos tamen ego Jureconſultos ad ingenii potius oſtentationem, quam ad veritatem id feciſſe, dicere auſim, niſi Cujacium, virum cœteroquin præſtantiſſimum, Juriſque univerſi peritiſſimum, eorum Ducem magna cum animi admiratione eſſe cognoſcérem. Sed quoniam magis quam Plato, ut eſt in Proverbio, amica veritas eſſe debet, quæ communem Juriſconſultorum ſententiam tuentur, primùm producamus; quæ Cujacium, ejuſque aſſeclas defendunt, poſtmodum afferamus.

Illud verò primùm ſtatuatur, diem ſtipulationi duplici modo adiici poſſe; aut ſim-

ſimpliciter & abſolutè ; aut eo addito, quo dies commodo creditoris appoſitus videatur. Hoc altero modo ſi dies apponatur, invito creditori ante diem ſolvi poſſe omnes negant Juriſconſultorum Scholæ; at ſi primo modo adiectus dies fuerit, omnes omnium Juriſconſultorum voces affirmant. Cum enim, inquiunt, ſtipulationi dies ſimpliciter adiicitur, quod utile, quod commodum, quod opportunum ſolventi fuerit, reſpicitur. Quæ ratio facit, ut, ſi velit, eidemque commodum videatur, ante diem etiam invito creditori debitor ſolvere poſſit. „Et ſane, ſi dies, ut mihi proſit, adiectus eſt, quid mihi proderit, ſi quominus ante diem ſolvam a creditore prohibear? Deinde ſi aliquo mihi jure uti liceat, cur, inquit Vinnius, etiam invito altero, eodem jure uti non poſſim? Poſtremo aut libenter concedant etiam invito creditori ante diem ſolvi poſſe, aut deleantur, totoque Jure expungantur plura Juriſconſultorum reſponſa, quibus hæc debitoris facultas innititur ac roboratur. Deleatur celeberrima illa Juris regula: unuſquiſque favori ſuo poteſt renunciare; expungatur

Ul-

Ulpiani pronunciatum. in l. ſtipulatio iſta. §. inter. ff. de V. O. quod certa die promiſſum eſt, vel ſtatim dari poſſe: quod autem quis jure poteſt, ut dicebamus, quominus poſſit, prohiberi non debet. Quamquam vel ipſe Juriſconſultus rationem reddit: totum enim, inquit, medium tempus ad ſolvendum liberum promiſſori relinquitur. Deleatur l. ſi ita ſtipulatus. 59. ff. de ſolut., ubi ſi tibi, aut Titio dare promiſerim, alternativa hac, ut loquuntur, ita uti me poſſe traditur, ut, etiam te invito, Titio ſolvere poſſim. Deleantur denique, ac de medio prorſus tollantur l. cum tempus. de R. I., l. ſi Judex. de Minor., l. pen. C. de Pact., quarum omnium ſententia id conficitur, ut nobis liceat impunè contemnere, quæ vel pacto, vel lege in gratiam noſtram ſunt conſtituta. Diem igitur ſtipulationi adjectum promiſſor impunè negligere poterit, ac ſtipulatori repugnanti, nolenti, ac prorſus invito ſolvere. Hæc poſtquam Adverſarii, qui cæteroquin pauciſſimi ſunt, audierint, mirabimur, inquit Donellus, ſi quid contra afferant, ut ab omnibus fermè receptam ſententiam explodant. At-

tamen præter privatas rationes ſuas, nonnullarum etiam legum auctoritatem producunt. Hæ igitur quanti ſint, ſingillatim videamus.

Quo autem primo utuntur Juris præſidio, ex l. ſi ſoluturus. ff. de ſolut. mutuantur. Alterum verò ex l. item. in princ. ff. de conſt. pecun. producunt. Utrumque quid efficere, ac probare poſſit, diligenter perſcrutemur.

Africani ergo ſententiam hanc eſſe ajunt in l. ſi ſoluturus. ff. de ſolut., inopportuno tempore pecuniam offerre non licere. Quod ſane, ſi in genere & abſolutè, ut loquuntur, intelligatur, nihil eo verius atque æquius afferre Juriſconſultus potuiſſe videtur; at ſi, quod ex hoc illi colligunt, & in rem ſuam trahunt, attentè expendatur, nihil poteſt eſſe magis ineptum, nihil a veritate magis alienum, ſcilicet in diem promiſſum, ante diem offerri non poſſe. Illud probent, tempus ſolutionis ante diem minus eſſe opportunum, noſque victi manus dabimus: quod enim ipſi importunum eſſe volunt, nos maximè opportunum exiſtimamus. Quemadmodum enim importu-

num

num maximè debitori putamus tempus illud, quo pecuniam petiturus ad ipsum stipulator accedat, eumdemque solvere reluctantem actionibus circumveniat; ita opportunus semper ad creditorem debitor venit, quocumque tandem tempore ad eum rem veniat soluturus. Sed quid tandem doceat Jurisconsultus in cit. l. si soluturus, videamus; nimirum eandem loci ac temporis rationem habet, inquiunt Adversarii. Ita enim loquitur: quid si non opportuno tempore aut loco obtulerim? & recte quidem, si generice eum loqui dicamus. Ut enim importuno loco offerre non potes, ita neque tempore importuno. Non eadem tamen, in specie nostra, sed omnino diversa utriusque importunitatis ratio est. Locus enim verè dicitur importunus, qui alius ab eo sit, qui solutioni dictus fuerit; non est verò importunum tempus, quod aliud ab eo sit, quod fuerit ad solvendum constitutum. Utriusque ea diversa ratio est, quia tempus promissoris gratia, non stipulatoris, ut in quæstione nostra supponitur, adiicitur; locus verò adiicitur gratia utriusque: quia nimirum loca singula pro

re-

regionum varietate propter varia mercium pretia singularem habent utilitatem. Quare, ut creditor alio loco accipiat, cogi non potest; ut accipiat ante tempus, cogi poterit. Alius enim locus semper est ipsi importunus; tempus verò non est eidem importunum, nisi cum illud ejusdem commodo expressè adjectum erit. Hujusmodi tamen coactiones atque importunitates tanta cum suavitate coniunctas esse existimo, ut si me nummularii, argentarii, creditores omnes hac de re disputantem audirent, non cunctis modo suffragiis sententiam hanc confirmarent, sed, gratiis etiam redditis, sinu me propemodum suo complecterentur, urgerentque vehementer, ut ex publico loco hoc, quasi Præco debitoribus denunciarem, diu noctuque, quocumque loco, quocumque tempore solutionem sibi fore opportunam.

Jam verò munimen alterum, quod ex Ulpiani auctoritate in l. item. 18. ff. de const. pecun. petunt, evertere conemur. Placet legis sententiam paucis afferre, quam pluribus Interpretes exponentes, rem faciunt obscuriorem. Quidam se soluturum constituit certa die; is tamen ante

illum

illum diem creditori suo pecuniam offert; creditor eam accipere recusat; paratus tamen ad eam accipiendam die constituta, si eadem ipsi oblata fuerit. Quæritur num creditori liceat postmodum pecuniam petere, licet per eum steterit, quominus pecunia sibi solveretur? Ulpianus eum petere posse tradit. Igitur si creditori ante non accepisse non nocuit, non fuit liberum debitori ante diem tradere voluisse. Igitur invito creditori debitor ante diem solvere non poterit. Nimirum id evenit, respondet ad hanc legem *Glossator*, quia forte stipulatoris commodo tempus illud adiectum est. Sed hæc divinatio est, non responsio. Illud verum, posse creditorem etiam post diem constituti petere; si pecunia adhuc extet; at si non extet, non posse debitorem suum actione persequi, quod per eum non stetit, quominus die constituti etiam non expectato, pecuniam ei solveret. Illud enim, quod in Prætoris Edicto legitur, *per eum non stetisse*, ad actorem simul & ad reum referri debet, ut utile utrique sit; debitori quidem, ut, si post diem constitutam non habeat unde solvat, non teneatur; creditori verò,

ut

ut quoniam die constituti ad accipiendum paratus erat, etiam post eundem diem petere possit, si adhuc pecunia extiterit.

Hæc illarum legum interpretatio abundè probat, tempus stipulationibus adiectum, quia totum solventis commodo datum est, stipulatori nunquam dici debere importunum. Atque hactenus quidem lege, ratione deinde Adversarii decertant. Sed sua statim debilitate corruit illud unum, quod ex ultimæ voluntatis comparatione deducunt. Si enim, inquiunt, legatarii causa, dies testamento apponatur, ut res non solvatur, nisi cum legatarius aut ætatis, aut tutelæ lubricum evaserit, nullo modo liberatio contingit, si ante diem solutio fiat; cur in stipulatione contrarium jus statuamus? Nimirum quia testatoris voluntas implenda est, cui utile visum fuit, ut legatario ante diem non solveretur, quod Legatarius ante diem illum, quod sibi legatum est, ob ingenii mentisque imbecillitatem tueri satis ac defendere non possit. Quamquam, ne tacita quidem a testatore legati in diem ratione, legati ejusdem aut petitio, aut so-

ſolutio utilis erit. Id enim totum teſtatoris preſtat voluntas, quæ in judiciis extremis eam vim habet, ut ejuſdem ratio, etiamſi tacitè inſit, apertiſſima tamen videri debeat. Sed inter diem ſtipulationi additum, atque additum legato quid interſit, accuratius videamus. Dies enim ſtipulationi appoſitus promiſſoris ita commodum ſpectat, ut liberum ei ſit, quemadmodum dicebamus, perinde ſolvere ac ſi dies adiectus non eſſet; dies verò legato adiectus legatarii utilitatem ita reſpicit, ut, ne ante diem petat, legatario prohibitum ſit, & hæredi, ne ante diem ſolvat, imperatum videatur. Utriuſque igitur diei ratio cum diverſa ſit, diverſum etiam de utroque jus ſtatuendum erit, nempe ut in ſtipulatione quidem, ſi promiſſor velit, dies pro non appoſito eſſe poſſit; in legato verò, etiamſi uterque, hæres nimirum & legatarius maximè velint, nunquam pro non ſcripto haberi poſſit.

Quoniam verò nihil fortaſſe gravius Adverſarii habent, quo noſtram, ſeu potiùs communem tum Juriſconſultorum, tum vero etiam eorumdem Interpretum ſententiam

tiam

tiam oppugnent, actam jam a nobis caussam, Auditores Optimi, existimate. Illud unum superest, ut, pensitatis utrinque rationibus, Cuiacio ne ejusdemque asseclis, an verò ceteris ferme omnibus, qui de proposita controversia scripserunt, inhærendum sit, pro summa sapientia vestra judicetis.